

II. Istius contractus formæ quamdam mentionem primus fere omnium MAJOR fecit, ut fuisus alio in Opere dicetur. Conradus illum proposuit Cardinali Cajetano, qui eundem usuræ damnavit, ut testatur P. Lessius lib. 2. cap. 25. dubit. 3. num. 22. his verbis.  
 „ „ Cajetanus tom. 1. opusc. ult. Respon-  
 „ sione undecima, putat formam hanc  
 „ contractus, quam ei proposuerat Con-  
 „ radus, esse illicitam: Petrus consignat  
 „ centum florenos apud Paulum mercato-  
 „ rem, ut ei pro parte lucri, capitali  
 „ salvo, assignet per annum quinque flo-  
 „ renos, residuo lucri sibi reservato.

Altera contractus formæ, quam Lef-  
 sius ipse proponit num. 30.

„ Ego infra scriptus confiteor hoc  
 „ meo chirographo, me accepisse a Ti-  
 „ tio mille aureos, ut eos impendam  
 „ legitimæ negotiationi, & loco incer-  
 „ ti lucri majoris, quod illi ex hac  
 „ negotiatione posset competere, pro-  
 „ mitto, me illi daturum 6. &  $\frac{1}{2}$ . in  
 „ centum quotannis, & ejusdem sum-  
 „ maræ periculum præstiturum.

Duae aliæ contractus formæ, quas ex-  
 biberet P. Joseph Gibalinus.

„ Pro summa trium millium ducen-  
 „ tarum librarum, quam promitto sol-  
 „ vere Sempronio proximo solutionum  
 „ termino, pro valore a me accepto  
 „ ad meam satisfactionem. Datum Lug-  
 „ duni Kalendas Januarii &c.

Alia forma.

„ Promitto me soluturum intra an-  
 „ num a die præsenti mille sexaginta  
 „ libras Sempronio pro valore æqua-  
 „ li a me recepto. Datum Lugduni &c.

III. Ejusmodi sunt formulæ contra-  
 ctus a pluribus catholicae Religionis  
 Theologis propositæ. Ut apud istos  
 Authores videbis, omnes istæ formulæ  
 mutuum purum putumque præferunt.  
 Verum in eisdem formulis contractum  
 aliquem licitum includi contendunt ci-  
 tati Theologi, ut mox explicabo.

Formula contractus, quam præbet Nicolaus  
 Broedersen, inepta est, plenaque  
 vitiis, & dolis.

I. Nicolaus Broedersen lib. 1. par. 1.  
 cap. 6. varias contractuum formulas per-  
 habet. Et primum rescribit num. XLIV.  
 formulam contractus P. Leonardi Lessii,  
 quam supra dedi. Post cap. 7. num. LIX.  
 aliam rescribit contractus formulam,  
 quam prius typis ediderat in suo Tract.  
 Brevi: estque ejusmodi.

II. „ Casus positio circa reditus ut  
 trimque redimibiles. Petrus se ipsum,  
 & familiam suam sustentat partim  
 opificio, partim reditu annuo 150.  
 florenorum. Redimitur reditus ille a  
 Petro, & redditur illi quinque mil-  
 lia florenorum, quibus reditum illum  
 emerat. Petrus ut consulat necessita-  
 tibus suis, intendit denuo collocare  
 dictam summam in emptionem do-  
 mus, fundi, vel reditus &c. Quoti-  
 die illam sic applicandi occasionem  
 habet. Accedit illum Joannes Mer-  
 cator dives v.g. centum millibus flo-  
 renorum. Neutquam eget Joannes  
 ista summa ad necessarios vitæ suæ  
 usus, & sine ullo incommodo potest illa  
 carere, immo sine illa etiam com-  
 modius, quam Petrus vivit. Rogat  
 tamen Joannes, ut Petrus dicta sum-  
 ma emat ab illo reditum annum  
 150. florenorum. Vult enim Joannes  
 ista quinque millia florenorum mer-  
 caturæ impendere, ut majora lucra  
 acquirat. Consentit Petrus, & di-  
 citam summam Joanni numerat his  
 conditionibus. Prima, ut Joannes  
 quotannis solvat Petro tria in cen-  
 tum, five 150. pro 5000. Secunda,  
 ut reditus ille sit utrumque redimibi-  
 lis, ea scilicet ratione, ut Joannes  
 possit reddere Petro istam summam,  
 & Petrus possit eamdem a Joanne  
 repeter, modo se invicem anteredi-  
 tionem, aut repetitionem tribus  
 mensibus monuerint, atque sic utro-  
 que casu reditus ille extinguitur.  
 „ Gra-

„ Gratius ob solidas rationes est Joann-  
 ni sic stipulari, quam si hypotheca  
 legitime constituta ad summæ resti-  
 tutionem non posset constringi. Ab-  
 est ab illo contractu omnis fraus, &  
 oppressio. Suprema potestas sæcularis  
 hujs Patriæ existimat tales reditus  
 a Deo non esse prohibitos, judicat  
 que eosdem suæ Reipublicæ, & suis  
 subditis utiles, ut commodius mer-  
 catus exerceant, immo ægre ser-  
 ret tales reditus hic impugnari. Om-  
 nia Confilia eosdem approbant, &  
 pro iis jus dicunt, & debitores sol-  
 vere coguntur.

„ Quæritur, an hic casus, illique-  
 similes, sepositis semper omni frau-  
 de, & oppressione, sint nobis Chri-  
 stianis a Deo in sacris Litteris per le-  
 ges circa usuram latas prohibiti.

III. Casus istius propositio aut do-  
 ctrinam continent Calvinianam, aut per-  
 perman obtruditur. Si enim contendit  
 Broedersen, lucrum perceptum ex pec-  
 unia mutuo tradita mercatori diviti  
 esse quidem usuram, sed non a Deo  
 vetitam, hæretica doctrina est. Si con-  
 tendit, damnum Petro ex mutuo con-  
 tingere, id quod ultra sortem percipi-  
 piet, compensatio erit. Quid obtrudit,  
 Petrum opificem esse, partimque 150.  
 florenorum reditu, & partim opificio,  
 se suamque familiam alere? Quid, si  
 neque opificium exerceat, opulentoque  
 patrimonio abundet? Illicitum ne tum  
 erit illi lucrum? Cur in Petro volun-  
 tam ponit pecuniam suam impenden-  
 di aut fundis, aut domibus, aut per-  
 petuis reditibus emendis? Cur afferit  
 occasiones id peragendi adesse? Quid,  
 si & voluntas, & opportunitas defuer-  
 rit? Fâne ne tunc perire Petrus de-  
 debit, cum unica illi viasit familiæ su-  
 stentandæ 150. florenorum proventus?  
 Cur Joannem mercatorem effingit?  
 Quid, si Communitas, si Civitas &c., si  
 Presbyter, si vidua, si Monasterium?  
 Fœnebre ne tunc lucrum erit Religioso  
 Broedersen? Cur mercatorem adeo divi-  
 tem in lœnam inducit? Quid, si mercator  
 sit, qui pecuniae summam accipiat ad  
 mediocrem, & prope inopem officinam

suam sustentandam, instaurandam  
 que? Fœneratitium ne tum lucrum  
 habebitur? Afferit Joannem mercato-  
 rem sine ullo incommodo carere posse pec-  
 unia, quam mutuam suscipit. Quid  
 si ditissimus nobilis sit, qui fundis, &  
 reditibus abundet, tamen pecunia ca-  
 reat, gravibusque incommodis obno-  
 xiis esset, nisi pecuniam illam mutuo  
 acciperet? Legationem enim obire, fi-  
 liam in matrimonium collocare, aliud  
 grave suæ familiæ damnum repara-  
 rare debet: fœnebre ne tum mutuum  
 erit?

IV. Quis nunc inficias ire potest,  
 descriptam contractus formam, va-  
 nam, ineptamque esse? Quemadmo-  
 dum Nicolaus Broedersen Schismaticæ  
 Ecclesiae Ultrajectinæ Pseudo-canoni-  
 cus in ceteris dogmatibus duplum per-  
 sonam sustinet Jansenistæ, & Catholi-  
 ci; ita in hac controversia duplum  
 induit figuram. In universo Opere do-  
 ctrinam Calvinii, Molinæ, & Salmasii  
 acriter propugnat. Similiter cum la-  
 xioribus quibusdam Catholicae Religio-  
 nis Casuistis inito fœdere, quidquid  
 laxius isti docuere, amplectitur. For-  
 man præfatam obtrudit, ut trinum  
 contractum, aut censum personale se  
 defendere innuat. At fucum facit va-  
 fer homo. Universa quippe principia,  
 quæ dogma adversus usuram consti-  
 tunt, penitus evertit, ut indicatum fu-  
 pra est, & dicetur a libri.

V. Animadvertisit tamen idem Broe-  
 dersen loc. cit. cap. 6. num. 51. nihil ad  
 præsentem controversiam referre for-  
 mularum diversitatem his verbis: Quan-  
 tum ad propositum nostrum attinet, exigui  
 est momenti, quibus contractuum formulæ  
 in proposito casu utantur. In eo enim di-  
 scepitationis cardo vertitur, num memora-  
 ta saepius pecuniae expostio licita, vel illi-  
 cito sit. Repetit num. 55. Potest idem fieri  
 per formulam locationis: v.g. qui alte-  
 ri certam pecuniae summam utendam in  
 mercatura, aut emptione agrorum, do-  
 muum &c. tradit, sibi pro usu illius quo-  
 tannis v. g. tria in centum solvenda esse  
 stipulatur. Iterum. num. 56. subdit: Ni-  
 bil obstat, quoniam eadem res perficiatur

per formulam contractus innominati. Do, & facio, ut des, & facias. Nimirum, si tu velis mea pecunia negotiari, illam assecurare, & obligare te ad solvendum quoniam tria in centum, tradam tibi meam pecuniam, & concedam tibi totum lucrum. Hic unicus est, & innominatus contractus, quo omnia, que utrimque sunt conferenda, & commutanda involvuntur. Vide Lessum cit. loc. Hæc ex Casuistis perstrinxit Brodersen. Infixæ sint menti tuae hæ contractum formulæ variae, ut, quæ dicturus sum §. vii. facilius assequaris.

## §. VI.

Manifestantur contractus, quos in formulis recensitis supra §. iv. Theologi Probabiliste contineri propugnant. Gaspar Rodericus cum aliis Jurisconsultis ut hæreticam improbat sententiam, quæ defendit, usuras moderatas licitas etiam consensu Principum concessas.

I. Ut res evidenter pateat, præoculis habeas oportet documentum nu. 3. EPISTOLÆ Pontificiæ; videlicet, posse quandoque mutuo extrinsecus advenire vel titulos veros aut damni emergentis, aut periculi juris, vel etiam posse sæpe pecuniam per contractus a mutui natura distinctos collocari aut ad proventus emendos, aut ad licitam mercaturam. Hæc certa sunt, neque in controversiam veniunt.

II. Sermo ergo nunc est de iis Theologis, nempe Molina, Lessio, Lugo, Tamburino, Gibalino, Bonacina, aliisque, qui in recitatis formulis, absolute spectatis, contineri contractus intrinsecos implicitos asserunt, vi quorum lucrum licitum defendant. Formulæ illæ, juxta obvium sensum, utique præferunt contractum mutui: at ingeniosi Theologi (sic enim eos Tamburinus vocat) vident in hac mutui forma veluti in secundissimo latifundio contineri plurimos contractus, vi quorum, & non vi mutui, lucrum ab usuræ labore purgetur. Nec ad hos ineundos contractus aliud, nisi bona, & pia intentio requiritur in contrahentibus,

qua velint lucrari omni meliori modo juxta doctos Juniores. Quæ dico, & dicturus sum, verbis ipsorum Theologorum probabo. Audias nunc velim arcuatum probabilisticum in prima contractus forma occlusum.

III. Paulus noster, inquit, quatenus pecuniam a Sempronio acceptam in commercium distrahit, mercatoris personam exercet, & cum Paulo famigeratum illum contractum trinum init. Si autem Sempronius, accepta pecunia, fundos emat, domosve, divitis personam gerit, censumque realem cum Paulo animo contrahit. Si Sempronius noster artifex, opifexve fuerit, & pecuniam arti sive promovendæ applicet, censum personalem cum Paulo stipulari præsumitur. Si Sempronius Pater familiæ sit, pecuniaque opus habeat, vel ut filiabus nubendis, Deove sacrandis provideat, vel ut legationem, aliamve dignitatem sustineat, aut ut ingentem pecunia jacturam in ludo factam, vel alia debita solvat, tum vi contractus innominati moderatum proventum solvet. Tandem ad majorem conscientiæ tranquillitatem præter hos contractus semper mutuo insunt tituli, quos ex Tamburino, Lessio, & Lugo recensuimus: potissimum molestia, angor amarus, quo Paulus afficitur, ob amatæ pecunia privationem. Si comœdia, & pulchri spectaculi, aut feræ silvestris visio pretio estimabilis est; quo in pretio habenda erit fulgida illa, & resplendens aureorum, argenteorumque numerorum contemplatio?

IV. Quid, si Sempronius poster simplex adeo sit, & bonus vir, ut istos contractus trinos, census, aliosque titulos ignoret omnino: aut nullam expressam voluntatem minime habeat in eundi aliquem ex recensitis contractibus? Hac in hypothesi sat est Sempronio nostro, ut lucrari de suo velit omni meliori modo, & in eo sensu, quod docti, & ingeniosi Juniores lucrari liceat postea defendunt. Quemadmodum ille obvias non habet amphibologias, & æquivocas restrictiones, quas repererunt novi Theologi, sufficit, ut licite

licite juret, non esse verum, quod cognoscit esse verum, juxta aliquem modum excogitatum a Doctis.

V. Postremum, inquit, tametsi lege naturali, & divina vetita usura sit, non tamen absolute, sed conditio[n]ate, inquit P. Pichler, dependenter videlicet a Principum consensu, & a Patriæ consuetudine: quare, dum aut Civitatum, aut Patriæ consuetudines, aut Principum leges, usuras, quæ charitatem non lèdunt, approbant, lictæ illæ sunt, omnibus titulis explicitis sublatis. In conspectu enim aut Patriæ consuetudinis, aut legis Principum lex naturalis & divina, utpote conditionata, in fumum occidit.

VI. Verum enim vero quoniam de Principum legibus, usuras olim quandoque permittentibus, mentio incidit, opportunum duco huc adferre pauca eorum, quæ docent vel ipsi Causarum Patroni, & Jurisconsulti. Dictum supra est, Theologos Catholicos unanimi consensu hæreses damnare opinionem, propugnantem usuras moderatas licitas esse. Quam gravissimam censuram ægre fert Interpres Italus in suo Compendio Operis Broderianæ, posito ad calcem sui Operis Dell' impiego del danaro alacris, sibique plaudens cap. 4. pag. 264. hæc de more scribit: *Or chi potrebbe mai credere, che dopo quanto si è detto, non sia però detta ancora la ragione massima, per cui giusto, e irreproibile sembra rendersi il costum, di cui si tratta? Consta nel titolo pubblico, e deriva dalla potestà de' Sovrani, e si fonda su la reverenda autorità delle leggi.* En rationem maximam, hæc tenet indicat. Sed hæresim, non rationem appellant illam Baldus, Rodericus, Alciatus, Covarruvias, aliique Jurisconsulti. Animadvertisit, se non de legibus antiquis Romanoruin, sed de novis sermonem habere; de illis nempe, quæ moderatas lucri foenebris quantitatem præficiunt. Quali fossero (inquit pag. 265.) le rette quantità, e in qual misura fossero permetti i frutti, s'incominciò nel principio del secolo sesto decimo a dichiarare. Constantinus, Justinianus, Leo sapiens, ceterique Principes permittentes usuras, non moderatas, sed mordentes & statum atque Rempublicam devorantes concedebant? Ante seculum xvi. omnes Principes & Communitates, in quæ excommunicationis sententiam tulit Concilium Viennense, nisi Constitutiones usuras permittebant, usuras opprimentes exigentib[us] consentiebant? Priscarum rerum pericu hæc afferunt?

Laudat Author iste in rationis maximæ a se inventæ præsidium Babenstuber, & Pichler, quorum paradoxa singulari Dissertatione labefactabo. Intervim recogit et, jam a tempore Baldi hæreos damnatam esse opinionem, quæ asterebat, usuram moderatam, et iam minimam, etiam uno nummo constantem, licitam esse.

VII. Quæ hactenus recensui, alio in Opere, adductis luculentissimis Authorum textibus, confirmabo, & pro virili refellam. Nunc animadvertere sufficiat, posita ea Theologorum doctrina, nullam in mundo usuram esse.

### §. VII.

Denuo, confirmatur, Summum Pontificem BENEDICTUM XIV. prudenter præteriisse recensitos contractus, qui ex citate controversiae causam dedere. Quam inexcusabiles ii sunt, qui lamentantur, Romanam Sedem nullum ferre iudicium in hunc, illumne contractum. Nisi Christiani evangelicæ doctrinæ spiritu instrudi sint, nulla nova Constitutio, aut Decretalis sufficit ad retundendos cupiditatis cavillos. Si evangelicæ doctrinæ amore ac zelo ducamur, satis contra usuram provisum est.

I. Quamquam Dissert. 1. cap. 3. demonstravi, provide, sapienterque Pontificem Summum præteriisse contractus, qui controversandi causam dedere: nihil secius lubet iterum eamdem veritatem novis adductis rationibus confirmare. Contractuum, quos duobus superioribus hys. exscripti, sola representatio, validissimo, atque ineluctabili argumento est, non modo Pontificem Summum prudenter, sed necessario debuisse contractus istos dissimulare. Quandoquidem ultra ea, quæ loco citato scripsi, quamnam ille ex præfatis formulis improbare debebat? Si contractus sub una contentus forma improbatus fuisset, continuo dixissent usurarum Patroni, sub altera expressum forma approbatum, remanere. Et hinc nova interminabilis lis, nova dis-

sidia, nova iurgia &c. Theologi ipso modo sub una, modo sub altera formula contractus proponunt, & ipsi Doctores Lovanienses, ut superius dixi, super contractus sincera expositione dissiduebant. Nullus dubito, quin omnes ii, qui legerint, quos rescripti contractus magna verborum circuitione circumseptos, & sagaci diversitate conceptos, mecum dicturi sint, prudentissime Pontificem Maximum præfatos contractus dissimulasse, nullo in eosdem iudicio lato. Cæterum quod rem omnem conficit, illud est; nimis principia firma, clara, luculenta. Pontificem sapientissimum constituisse, quæ evidenti, & necessaria consecutio ne inferunt, contractus illos sub qualcumque forma conceptos, esse usuraria pravitate inquinatos, ut omni argumentorum genere patefaciam.

II. Heinc patet, quam inexcusabiles ii sint, qui similia fantur: Quid refert, inquiunt, Pontificem principia adversus usuram constituere, & regulas a praxi communi sejunctas præscribere? Optima hæc esse quis ibit inficias? At pro fidelium instructione, haud sufficiunt. Quod nostra summopere intererat scire, est: num hic contractus sit, nec ne, fœneratius? Abundo pecuniis: otiosas illas certe nolo. Quis enim divitum id velit? Possem prædia, domos, loca vacabilia, aliosque redditus emere. Sunt amici, sunt nobiles, qui suarum familiarum negotia universo prodere mundo nolint. Petunt non levem, sed notabilem pecunia summam. Gratis nullibi invenient. Fœnerator ne ego, si cum moderato trium, aut quartuor, proventu annuo, pecunias tradido?

III. Hæc sunt vaserrimæ cupiditatis ratiocinia, hæc avaritizæ sophismata, quæ pluribus alio in Opere refellam. Paucis nunc perstringam. Ad tñarum ergo appetitionum amissim detorquere legem contendis? Tui status regulas immobiles constituis, inquiens: Statui meo expedit, ut hoc, illudve peragam? Quid? Patefaciendum ne est, me carere pecunia, qua provideam filiabus, susti-

Iustineam dignitatem? Manifestandum ne, me nullos habere fundos liberos? Me ne decoctorem sponte prodam? Præjudicium ne statui meo inferam? Hæc, & similia chimærica principia, ambitione, & superbia concepta, præmittunt tamquam immobilia; & ad has suas chimeras inflectendam legem divinam contendunt cupiditatis, avaritiæque amatores. Evangelium audiant. Nisi parati sint & paupertatem, & egestatem propriam prodere, & sustinere, dum sic divinæ Providentiaz ordo disponit: nisi statum, & dignitatem juxta, & non ultra eorum facultates servare, abeo interdum decidere, sua que etiam dignitates juxta Dei beneplacita dimittere: nisi propria negotia, & familiæ vices subjicere divinæ legi parati sint; ac legem inflectere desinant ad propriæ ambitionis, cupiditatis, & mundanæ nobilitatis præscriptum: nisi prima illa evangelicæ legis documenta animis infixa habeant; videlicet, oportere nos possidere divitias, dignitates, gradus, tamquam non possidentes; uti uxoribus, tamquam non utentes: nisi ob oculos habeant facilius esse camelum per foramen acus transire, quam divitem salvum fieri (quod ad exprimendam gravem salutis difficultatem dicitur:) nisi renuntiare omnibus, quæ possident, animo prompti sint; velintque potius lucro inhiare, & congregandis divitiis, augendisque gradibus navare operam, pro certo habeant, nullas Constitutiones reformandis eorum moribus sufficere posse. Si nihil aliud Romana Sedes faceret, quam Constitutiones adversus contractuum usuras, aut injurias edere, nihil efficeret. Quo si quidem multiplicantur Constitutiones, eo multiplicantur cavillationes, effugia, & sophismata, nisi doctrinæ evangelicæ sectandæ æternæque salutis desiderium sincerum animo insideat.

IV. Quæ enim in hunc finem hastenus non egit Ecclesia? Concilia Nicænum, Eliberitanum, & alia multa Clericis expresse usurpas interdixere, sic illorum temporum conditione ferente. Posteriori ætate clarius explicatae fuerunt divinæ Leges, quæ semper omnibus tum Clericis, tum Laicis usurpas interdixere. Sed proprius ad tempora nostra accedamus. S. Pius V. Sixtus V. Alexander VII. Innocentius XI. damnarunt cambia sicca, deposita apud mercatorem cum anno reditu, contractus Mohatræ, & Anticrisis, census personales, societas factas, & plura alia cupiditatis artificia. Quid inde? Quemadmodum evidentissima alia Decalogi mandata, ut quintum, & sextum, ita & septimum transgredi perexerunt mundani homines. Theologi non pauci videntes communiter Christianos, non secus, ac ante editas Pontificias Constitutiones, suos usurarios contractus celebrare, pia intentione salvandi omnes inaudita commenta excogitarunt: & quisque fere pro arbitrio Ecclesiaz documenta interpretatus est. Potro, si Christiani istorum potius interpretamentis stare velint, quam Pontificum Constitutionibus; & Casuistis potius, quam Pastoribus, quos Deus posuit regere Ecclesiam suam, aures dare velint, cupiditatibus suis morem gerent, sed Regnum Dei non consequentur. Provisum abunde est adversus usurarum cavillos. Constitutiones luculentæ sunt, & Deum timentibus, & sinceris Evangelii cultoribus claræ sunt, ac perspicuæ: sed provisum non est, nec providebitur umquam hominum commentis, avaritiæ fraudulentis prætextibus, cupiditatique omnium malorum radicis, cavillis, & machinationibus.

## CAPUT VI.

## UNIVERSÆ CONTROVERSIÆ STATUS

pleno in lumine collocatur. Capita in hac secunda.

Pontificia EPISTOLÆ parte contenta  
clarius explicantur.

I. N*imia* quæsto prolixitat<sup>i</sup> non ver-  
tatur, si in re gravissima per-  
tractanda eadem quandoque & repe-  
re, & inculcare cogor. Quæ itaque  
in priore Epistolæ parte statuta sunt,  
in mentem revoco. Usuram nempe  
quamlibet peccatum esse: in mutuo  
hanc sedem dumtaxat, & locum ha-  
bere. Lucrum ex mutuo fœnere esse,  
nulla habita personarum ratione: pro-  
pterea sive pauperibus, sive divitibus,  
sive mercatoribus, sive nobilibus, &  
cujusque conditionis hominibus pecu-  
nia mutuo tradatur, sive hæc pecunia  
ab accipiente otiosa teneatur, sive pro-  
digatur, sive in commercio, aut præ-  
diorum emptione collocetur, lucrum  
ex ejusmodi mutuo perceptum fœne-  
ratitium est. Idque penes omnes Ca-  
tholicos inconcussum.

II. Ut autem, quæ in secunda Epi-  
stolæ parte continentur, evidenter pa-  
teat, sequentibus §. explicabo.

## §. I.

Sicte Pontifex Summus num. III. & v.  
sue Epistole distinxit titulos mutuo ve-  
luti innatos, & intrinsecos, a titulis  
QUANDOQUE extrinsecus superve-  
nientibus: Item contractus a mutuo om-  
nino diversos: & contractus in eadem  
pecunia, sub mutui forma tradita, im-  
plicite, ut contenditur, inclusos.

I. Sub oculis primum omnium re-  
currat Pontificis Textus num. III. Per  
hac autem nequaquam negatur posse quan-  
doque una cum mutui contractu quosdam  
alios, ut ajunt titulos, eosdem ipsimet  
universim naturæ mutui minime innatos,

con-

## §. II.

Universæ controversiæ scopus exponitur.  
Due viae opposita defendendi expositos  
contractus. Altera Calvinii, Molinæi,  
aliorumque Hæreticorum. Altera quo-  
rumdam Casuistarum Catholicorum, qui  
Dogma aduersus usuram propugnantes,  
reipsa omne lucrum moderatum ab usu-  
re labe depurgant. Ambas defendit  
Nicolaus Broedersen cum nonnullis  
aliis. Utraque vero improbat BENE-  
DICTUS XIV. in hac sua Epistola.

contractus impliciti, bonaque intentio-  
ne parti, habent dumtaxat larvam di-  
stinctam a mutui natura, apparentes  
& conflictos colores diversos:  
caterum sunt reipsa mutuum, ut ex-  
plicabimus.

III. Luculentius hæc omnia decla-  
clarat Pontifex Sanctissimus num. v.  
sue Epistolæ: Sed illud diligenter ani-  
madvertendum est, falso sibi quemquam,  
& nonni<sup>s</sup> temere persuasurum, reperiri  
semper, ac p<sup>r</sup>æsto ubique esse, vel una  
cum mutuo titulos alios legitimos, vel se-  
cluso etiam mutuo contractus alios justos,  
quorum vel titulorum, vel contractuum  
p<sup>r</sup>æsidio, quotiescumque pecunia, fru-  
mentum, aliudve id generis altericuicum,  
que creditur, toties semper licet aucta-  
rium moderatum ultra sortem integrum,  
salvanque recipere.

IV. Textus iste rejicit, damnatque  
opiniones illas, tum quæ defendunt  
mutuo insitos, seu innatos titulos lu-  
crandi legitimos inesse; tum quæ con-  
tractus, secluso mutuo, conflictos pro-  
pugnant; ut sunt census personales,  
societates fucatae, contractus innomi-  
nati: ac denique opiniones illas, quæ  
docent, Patriæ consuetudines, aut Prin-  
cipium leges tantæ esse efficacitatis,  
quæ valeat usuras, tametsi lege natu-  
rali, divinaque vetitas, honestare. Id-  
que aliis verbis confirmat, dum sub-  
dit, quod mulis in circumstantiis, p<sup>r</sup>æ-  
ter unum mutuum, alteri nulli vero, ju-  
stoque contractui locus esse possit. Si enim  
vera esset plurim, quos indicavi,  
recentiorum sententia, nulla sane cir-  
cumstantia occurret, in qua aliquis  
contractus innominatus allegari non  
posset, aut titulus quisquam lucrandi  
non adeslet. Commentitium ergo es-  
set aduersus usuram dogma, & inane  
Pontificiæ Decretalis p<sup>r</sup>æceptum.

I. Ut tandem universæ controversiæ  
scopum paucis exploratum, comper-  
tumque habeas, in memoriam revoces  
oportet, duas esse, & quidem contra-  
rias, defendendi expositos contractus  
vias: alteram Hæreticorum, alteram  
quorumdam Casuistarum. Contractus  
expositi, quos omnium primus indi-  
cavit Major, & omnium primus Car-  
dinialis Cajetanus fœneratios judica-  
vit in responsione ad Conradum, qui  
illi hos contractus proposuerat, causa  
fuere, ut dictum est, exortæ contro-  
versiæ. Catholicorum quidam Theolo-  
gi, qui contra Cardinalem Cajetanum  
contractus laudatos ab usura immunes  
esse contendeant, varios commenti  
sunt titulos, qui bonæ fidei, & com-  
muni sensui repugnare ipsis Hæreticis,  
Calvinistis in primis visi sunt. Ex al-  
tera parte isti p<sup>r</sup>æ cæteris, e re sua  
judicarunt esse, horum contractuum  
justitiam propugnare, cum p<sup>r</sup>æ cæ-  
teris primas partes in Europæ com-  
mercio & mercatura habeant. Novam er-  
go illi pro istorum contractuum defen-  
sione viam, universis antea Catholicis  
incognitam, inierunt. Cum viderent  
ex una parte usuram a Deo prohibi-  
ri; ex altera, titulos a quibusdam ad  
istorum contractuum justitiam defen-  
dendam inventos, esse vanos, & chi-  
méricos, duplice excogitarunt usu-  
ram: alteram immoderatam, morden-  
tem, opprimentemque pauperes: alte-  
ram moderatam, quæ commercium  
(ut volunt ipsi) promovet, & proxim-

O      mum

## COMMENTAR. IN EPIST. BENEDICTI XIV.

mum adjuvat. Illam, secus istam in Scripturis veteri contendunt.

II. Theologi Catholici unanimi consensu ut hæreticam detestati semper sunt doctrinam Calvini, & Molinæi. Illorum tamen aliqui non modo titulos commentitios, qui Hæreticis ipsi ansam quoquomodo aberrandi dederunt, non correxere, sed novos potius exco-gitarunt: eoque res pervenerat, ut iura pene omnis a mundo exularerat. Nam admissis censibus personalibus utrumque redimibilius, contractibus innominatis, titulis veluti mutuo in-natis, seu insitis, consuetudine Patriæ, Principum potestate, qua honestari usura moderata possit, ubinam gentium usura erit, sive respectu divitum, sive respectu omnium pauperum, qui sol-vendo sint?

III. Nicolaus Broedersen utriusque sententia principia immiscuit. Quid-  
quid hæretici Molinæus, Salmasius,  
Cloppenburgius, Noodt; quidquid Ca-  
ramuel, Torrecilla, Diana, Tamburi-  
nus, cæterique mollioris Theologiae  
Patroni commenti sunt, in suo con-  
farcinavit volumine. Ea propter modo  
usuram moderatam non esse a Deo  
vetitam, modo non reperiri in suis  
contractibus usuram defendit.

IV. BENEDICTUS XIV. Pontifex Summus singulari profecto sapientia utriusque sententiae principia improba-vit. Errorem *Dogmaticum*, qui nempe Doctrinæ Catholice recta adversabatur: & errorem *Casuisticum*, qui Dogma ipsum, veluti superfluum reddebat, prescrispsit. Nullam peculiarem opinionem exerto digito designavit, nullumque authorem: sed laxarum opinionum o-mnium principia labefactavit *num. 111.* & v. alisque in locis tanta prudentia, & ea verborum præcisione, ut errores, salvis eorum Authoribus, profligaverit. Duo quippe præstanda, seu duo erro-rum genera auferenda erant. Alterum Protestantium: alterum Casuistarum quorumdam. Si opinionem, si contra-  
ctum quempiam singularem confixisset, controversia finem minime imposuisset. Idcirco principia utriusque partis labefactavit, atque Catholicae Doctrinæ, si-  
ve theoreticæ, sive practicæ fundamen-ta ita firmavit, declaravitque, ut, his positis, evidenti, & necessaria conse-cutione plures laxiores opinione (ut ego quidem arbitror, & salvo meliora judicio) proscriptæ jaceant.

# COMMENTARI<sup>I</sup> IN EPISTOLAM BENEDICTI XIV. ADVERSUS USURAM DISSERTATIO TERTIA CAPUT I. TEXTUS EPISTOLÆ PONTIF.

„ Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientia ita confidunt, „ ut responsum ferre de iis questionibus non dubitent, ( quæ „ tamen haud exiguum Sacrae Theologiae, & Canonum scien- „ tiam requirunt ) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, „ longe se abstineant. Etenim aliqui tanta severitate de iis „ rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desum- „ ptam accusent, tamquam illicitam, & cum usura conjun- „ ctam. Contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissique „ sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine „ liberum existiment, suis privatis opinionibus ne nimis adhæ- „ reant; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores „ examinent, qui magis inter cæteros prædicantur. Deinde eas „ partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate PLA- „ NE confirmatas intelligent.

## §. UNICUS.

*Extrema rigoris, & laxitatis vitanda.*  
Pontifex Summus BENEDICTUS XIV. illas feligi sententias jubet, que cum ratione, tum auctoritate Plane confirmatae apparent, rejectis opinionibus minus probabilibus, quæ revera Plane ratione & auctoritate confirmatae non sunt. Qui Theologi præferendi.

I. PRIMA istius textus pars jam su-pra explicata est: videlicet de-

vitanda esse tum rigoris, tum laxitatis extrema. Extremum rigoris esse in hac controversia, quemlibet inficiari titu-lum extrinsecus mutuo advenientem, qui sit justa lucrandi cauſa. Calvinus, & communiter Heterodoxi veros, le-gitimisque cum fictis confundunt titu-los. Negant, deridentque, ceu lepida, & festiva commenta, titulos lucri cef-santis & danni emergentis. Quos titulos, potissimum lucri cessantis, et iam servatis conditionibus, quas pro veritate ejusmodi tituli præscribunt gra-viores

viores Theologi, pernegan Catholico-  
rum nonnulli. Pauci tamen hodie sunt,  
inferiorisque subsellii. Nam qui repu-  
tantur severioris Theologiarum Auctores,  
sunt Bonus Merbesius, Jacobus Gay-  
te, Natalis Alexander, Franciscus Ge-  
nettus, Henricus a sancto Ignatio,  
Joannes Pontas, Gabriel Antoine, Pau-  
lus a Lugduno, & Besombes. Porro  
in hac de usura, & contractibus con-  
troversia, nullum severitatis extremum,  
ut eisdem colligere potui, in ipsorum  
libris offendit. Si quis autem aliquam  
ex his auctoribus excerptam in hac  
materia justo rigidiorem sententiam  
perhiberet, pergratam mihi rem face-  
ret, quin & de omnibus evangelicarum  
doctrinarum sinceris cultoribus benemere-  
retur.

II. Ut tamen ea, quae ad pleniorum  
Casuisticarum historiarum notitiam pertinent,  
mihi comperta sunt, sincere, &  
candide referam, illud (quod extremum  
rigoris spectat) addam: Cardinalem Cajetanum, & Dominicum Soto  
doctrinam plus justo rigidam trade-  
re adversus usuram, quam in ipso pro-  
ventu reperiri contendeant, qui ad  
alendos Ministros Montium pietatis per-  
cipi solet. Quin Dominicus Soto lib.  
6. quæst. 1. art. 6. ut suam austriorem  
sententiam propugnet, laxius, quam  
par sit, interpretatur concilium Latera-  
nense. Quare ibi in geminum impin-  
git rigor, & laxitatis extremum Theolo-  
gus iste, alioquin gravissimus, & suo  
ævo paucis secundus. Nec illius splen-  
dori, & famæ quidquam detractum vi-  
ri prudentes existimant, quod aliqua  
ejusdem errata pandantur; quandoqui-  
dem in ipsis Ecclesiæ Patribus nævi  
corriguntur, salva reverentia, & ob-  
sequio. Semper enim animo hæret meo  
Magistri Cano dictum: *Propositum est  
enim veri reperiendi causa, & contra no-  
stros, & pro alienis etiam dicere: & cum  
res postulat, utrosque nullius accepta per-  
sona, reprehendere.* Lib. 7. cap. 3. Quod  
adversus eos dictum volo, qui vel cum  
veritatis dispensio propriæ familiae de-  
cori consulere maxima hallucinatione,  
atque infeliciter in more habent,

III. Verum si pauci sunt, qui in  
doctrinæ æquo rigidioris extremum  
declinant, immensa est illorum multi-  
tudo, quæ in aliud doctrinæ æquo la-  
xioris extremum prolabitur. Rigor  
enim, utpote qui naturæ repugnat,  
ideo paucos habet sectatores: lata ve-  
ro, & spatiovia, quæ humanis appre-  
hensionibus accommodatur: &, Christo  
Domino teste, multi sunt, qui intrant  
per eam. Paucorum ego in hoc Com-  
mentario Auctorum adduxi opiniones  
revera laxissimas. Erunt, sat scio, qui  
mihi succenseant, quod illos præ aliis  
nominaverim; cui oppositioni jam  
alias feci satis; videlicet, me frequen-  
tius citare in laxitatis patrocinium  
Dianam, Leandrum, Bonacinam, Ca-  
tamuelem, Tamburinum, Vivam, La-  
Croix, Castropalaum, de Lugo, quod  
præcipue hi auctores sunt in illorum  
omnium manibus, quos ab erroris pe-  
ricalo subducere necesse est: at non  
propterea a laxitatis nota liberos alios,  
tempore Zanardum, Serram, La Cruz,  
Manriquez, ceterosque ejusdem insti-  
tuti, si qui sunt, affirmo. Quæ haec tenus  
in lucem dedi, satis, superque evin-  
cunt, me pro veritate pugnare. Fa-  
xit infinita Dei clementia, ut nec fal-  
sitatem pro veritate defendam, nec in  
veritate propugnanda modum, pruden-  
tiaeque evangelicarum fines excedam. Si  
hæc duo obtinero, nihil morabor ho-  
minum nugas, qui ajunt: *Quis te ve-  
ritatis constituit assertorem?* *Quis tibi au-  
tor fuit, ut hæc litterarum mandares  
monumentis?* Qui talia exprobant,  
Christi sane ignorant Evangelium. At  
de extremis duobus, laxitatis nim-  
rum, atque rigoris satis dictum esto.

IV. Postquam Pontifex Sanctissimus  
in sua Decretali Epistola extrema vi-  
tanda admonuit, continuo viam, quæ  
arripienda est, ut extrema declinen-  
tur, aperit. Ejusmodi autem est: Pro-  
priis opinionibus privatique cogitationib-  
us nimium non adhærente: quæstio-  
nes pro dignitate expendere: non adi-  
re Auctorem aliquem, qui pro utra-  
que contendente parte nonnullos re-  
ferat, ut probabilitatis beneficio utra-  
que

que pars se viciſſe arbitretur, suisque  
votis fruatur. Sed plures evolvantur  
Scriptores, serioque expendantur, ut  
quod est observatione dignissimum com-  
pertum habeas; utrum scilicet vera  
Moralis Christianæ documenta, vide-  
licet divinarum Litterarum, Pontifi-  
cum, Conciliorum, Patrumque testi-  
monia afferant. Qui hæc documenta  
ad suas firmandas sententias produ-  
cunt, præferantur ceteris, qui, ut suas  
opiniones probabilitatis pallio induant,  
censem Casuistarum texere, & ratiu-  
cularis ad arbitrium humanæ mentis  
excogitatas in medium afferre consue-  
verunt. Recitemus Summi Pontificis  
verba. „Suis privatis opinionibus ne  
nimis adhærent; sed priusquam re-  
sponsum reddant, plures Scriptores  
examinent, qui magis inter ceteros  
prædicantur.“

V. Quinam sunt, qui magis inter  
ceteros prædicantur? Num qui typis  
sæpius recuduntur? Num qui laxiora,  
rigidiorave confessantur? Ut gravis-  
simi momenti veritatem compertam  
habeas, spiritum & literam hujuscem  
Decreti, ad hoc quod potissimum at-  
tinget, explicemus oportet. Sub oculos  
itaque revoca quæ §. proxime præ-  
cedenti Pontifex innuit, & confessim  
quo spiritus, & litera istius Decreta-  
lis spectant, assequeris. Hæc autem  
sunt citati §. verba, „Quocirca si pe-  
cuniam suam collocare velint, dili-  
genter caveant, ne cupiditate, om-  
nium malorum fonte, rapiantur;  
sed potius ab illis, qui doctrinæ, &  
virtutis gloria supra ceteros efferun-  
tur, consilium exposcant:“ Alia  
verba quoque perpendenda magnopere  
sunt, quæ sub initium ejus §. Ponti-  
fex Summus adhibet; videlicet, quæ-  
stiones hasce, in quibus de damno ter-  
ri agitur, „Haud exiguum Sacrae Theo-  
logie, & Canonum Scientiam requi-  
rere.“ Hæc omnia tandem confe-  
ras velim cum hoc ultimo, de quo  
hic a nobis sermo est, sapienti moni-  
to: Priusquam responsum reddant, plures  
Scriptores examinent, qui magis inter cæ-  
teros prædicantur.

VI. Dicito nunc: Nonne & litera,  
& spiritus hujuscem Decreti eo unice  
spectat, ut in hisce præsertim de ju-  
stitia quæstionibus, eos Doctores, du-  
cesque sequamur, qui magis inter cæ-  
teros prædicantur? Porro illi inter cæ-  
teros prædicantur, qui, subdit Ponti-  
fex Maximus, doctrinæ, & virtutis glo-  
ria supra ceteros efferuntur. Quinam hi  
vero? Sancti Ecclesiæ Doctores tum  
prioris ætatis, Basilius nempe, Chry-  
sostomus, Augustinus, Hieronymus &c.  
tum posterioris temporis Bernardus,  
Raymundus, Thomas, Bonaventura,  
Albertus Magnus, Antoninus, Bernar-  
dinus, Carolus Borromæus, ceterique  
similes, qui splendidissimo Ecclesiæ i-  
psiis testimonio, doctrinæ, & virtutis  
gloria claruerunt. Hi nobis Sacrae Theo-  
logiarum fontes aperiunt, sacros Canones,  
seu Conciliorum Decreta, Summorum  
Pontificum Constitutiones explicant,  
ut cognosci a nobis germanæ morum  
regulæ possint. Perspicuum ergo est,  
Pontificem Maximum hac sua epistola  
edicere potissimum Theologis, Pasto-  
ribus, Confessariisque omnibus, ut san-  
ctos Ecclesiæ Viros, qui, quod docue-  
runt, præstiterunt, &, quod ipsi ege-  
runt, docuerunt, ac supra ceteros &  
doctrina, & sanctitatis gloria floruerunt,  
consultant, examinent, atque diligenter  
considerent. Quod si dissidium (quod  
raro invenies) inter illos esse cognoverint,  
eas feligant opiniones, quas tum  
ratione, tum auctoritate plane confirmatas  
intelligent.

VII. Qui opinione minus probabiles  
feligerent, & potissimum in his con-  
troversiis, parerent ne Summi Pontifi-  
cis Epistolæ Decretali? Seligerent ne  
opinione tum ratione, tum auctoritate  
plane confirmatas? Quid? si opinione  
hujusmodi a Doctoribus, qui doctrinæ,  
& sanctitatis gloria supra ceteros efferun-  
tur, improbarentur? Verum putasne,  
inquieres, Pontificem Maximum præci-  
pere, ut probabiliorem in hisce con-  
troversiis defendamus, consecutemurque  
sententiam? Non ego id contendeo;  
sed spiritus, & litera Epistolæ De-  
cretalis id nobis summa perspicuitate  
infi-